



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 127. De nominibus Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

nem cum Christo passio, & mortuo accipiat perfectionem vitæ spiritualis, ideoque vocatur sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, vt dicitur ad Coloss. 3. sed ad salutem non est necessarium, vt qui iam habet vitam spiritualem, accipiat eius perfectionem; ergo ad salutem non est necessaria sumptio eucharistiæ.

20. Ad 3. distinguo maiorem: ideo baptismus est adultis necessarius necessitate mediæ in re, vel in voto, quia adulti, si non possint baptizari, ita tenentur ad votum baptismi, vt baptismus sit per se institutus ad dandam primam gratiam, concedo: vt baptismus non sit per se institutus ad dandam primam gratiam, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Non sufficit ad hoc, vt aliquid sit ad salutem necessarium necessitate mediæ, vt votum eius sit necessarium ad iustificationem (alioquin cum adultis sit ad iustificationem necessarium votum efficaciter obseruandi omnia præcepta, eo ipso, quod aliquid esset necessarium necessitate præcepti, esset etiam necessarium necessitate mediæ) sed requiritur præterea, vt illud sit per se ordinatum ad conferendam primam gratiam; sed baptismus est per se ordinatus ad conferendam primam gratiam, eucharistia non est per se ordinata ad conferendam primam gratiam, sed per se supponit suscipientem esse in statu gratiæ; ergo &c.

21. Potest quæri, quare ad salutem corpoream sit necessarium, vt re ipsa sumatur cibus corporeus, ad salutem spiritualem non sit necessarium, vt re ipsa sumatur eucharistia, quæ est cibus spiritualis?

Respondet S. Thomas hoc art. 3. quæst. 73. rationem esse, quia alimentum corporeum conseruat vitam per hoc, quod mutetur in substantiam aliti; sed non potest mutari in substantiam aliti, nisi re ipsa sumatur; ergo vt vitam conseruet, debet re ipsa sumi. Et conuerso Christus, qui est cibus spiritualis, conseruat vitam spiritualem gratiæ, non per hoc, quod ipse conuertatur in nos, sed per hoc, quod nos conuertat in se, iuxta illud Augustini lib. 7. Conf. cap. 10. inducentis Christum dicentem nobis: *Nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*; sed ad hoc, vt Christus nos mutet in se, & sibi mysticè incorporet, non est necesse, vt sumatur re ipsa, sed sufficit, vt sumatur in voto; ergo &c.

QVAESTIO CXXVII.

De nominibus Eucharistiæ.

S. Thomas quæst. 73. art. 4.

1. **Q**uia sacramentum eucharistiæ licet sit vnum, tamen habet plures proprietates, & respectus, ideo conuenienter significatur diuersis nominibus; & quia est si-

gnum commemoratiuum alicuius præteriti, significatiuum alicuius præsentis, & figuratiuum alicuius futuri, aliqua nomina tribuuntur huic sacramento, in quantum est commemoratiuum alicuius præteriti, aliqua in quantum est significatiuum alicuius præsentis, aliqua, in quantum est præfiguratiuum alicuius futuri.

2. Primo igitur quia sacramentum eucharistiæ est commemoratiuum præteriti passionis Christi, quæ fuit sacrificium cruciatum, & est sacrificium inuentum, dicitur sacrificium: & quia continet Christum, qui fuit hostia per passionem immolata Patri, & quæ quotidie in cruentum immolatur, dicitur hostia.

3. Secundo quia significat vnitatem ecclesiæ, per quam fideles vniuntur in vnum corpus mysticum Christi, vocatur latinè communio, quasi simul vnio, græcè synaxis. Ido Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14. ait, quod dicitur communio, quia per ipsam communicamus Christo, & quia participamus eius carne, & deitate, & quia communicamus, vniuntur ad inuicem per ipsum.

4. Tertio quia hoc sacramentum est præfiguratiuum gloriæ æternæ, quia in patria fruamur Deo, & ad quam in hac vita peregrinamur, dicitur viaticum.

5. Quarto quia gratia Dei vita æterna, vt dicitur ad Rom. 6. vocatur etiam eucharistia, hoc est bona gratia, præsertim quia continet Christum, qui est plenus gratia, vt dicitur Io. 1. Irenæus tamen lib. 6. cap. 34. docet hoc sacramentum vocari eucharistiam, hoc est gratiarum actionem, quia in gratiarum actionem consecratur, & Deo offertur, idemque sentit Iustinus Apol. 2. circa finem, & Hieronymus exponens illa verba Amos *sacrificate de frumento veteri*. Videtur autem occasio huius nominis desumpta ex illis verbis Luc. 22. *Et accepit pane, gratias egit, græcè Eucharistias*.

6. Quinto demum græcè dicitur Μετέληψις, hoc est assumptio, quia vt dicit Damascenus lib. 4. de fide, cap. 14. per hoc sacramentum assumimus deitatem Filij.

7. Aduertit S. Thomas hoc art. 4. quæst. 73. ad 2. quod licet omnibus sacramentis sit commune, vt in eis conferatur gratia, quæ significatur per nomen eucharistiæ, & vni adiuuent nos in via huius sæculi, quod significatur per nomen viatici, & vt per ea fideles inuicem communicent, quod significatur per nomen communionis, & vt in eis fiat aliquid sacrum, quod pertinet ad rationem sacrificij, tamen hæc nomina per antonomasiam tribuuntur sacramento eucharistiæ propter eius excellentiam. Vocatur etiam eucharistia alijs nominibus, quæ videri possunt apud Suarezium in commentario huius articuli.

8. Hæretici recentiores sacramentum eucharistiæ, eo modo, quo ipsum conficiunt, appellant cœnam domini. Licet autem hoc

QVAESTIO CXXIX.

Quanam sint constitutiva intrinseca eucharistia.

1. **A**D sacramentum eucharistia conficiendum, & ad conferendam gratiam, quæ est præcipuus effectus sacramenti, quinque præcipuè concurrunt, verba nimirum consecrationis, vt forma; substantia panis, & vini, vt materia transiens, & remota; accidentia panis, & vini, vt materia permanens, & proxima; corpus, & sanguis Christi, quæ manent sub accidentibus, seu speciebus panis, & vini; & vsus, seu sumptio ipsius eucharistia. Certum est eucharistiam non constitui intrinsecè ex substantia panis, & vini, quæ est materia transiens, & remota eucharistia. Ratio est, quia quod fit ex aliquo, tamquam ex materia transeunte, ac desinente, non componitur intrinsecè ex illo: ex. gr. quia ignis fit ex lignis, tamquam ex materia transeunte, ac desinente, non componitur intrinsecè ex lignis; sed eucharistia fit ex substantia panis, ac vini, tamquam ex materia transeunte, ac desinente; ergo eucharistia non componitur intrinsecè ex substantia panis, ac vini. Dubitatur, vtrum, & quo pacto constitutur intrinsecè ex alijs quatuor?

2. Quæritur igitur primo, vtrum Christus sit totum sacramentum eucharistia, ac proinde eucharistia non constitutur intrinsecè ex alijs tribus?

Respondeo, quod vt referunt Sotus in 4. dist. 8. quæst. vnica, art. 1. & Suarius disp. 42. sect. 1. Vvaldensis tom. 2. de sacramentis, cap. 21. videtur docuisse, quod licet alia sacramenta non sint ipsa gratia inuisibilis, sed sint signum visibile gratia inuisibilis, tamen totum sacramentum eucharistia est ipse Christus, qui est gratia substantialis inuisibilis significata per species eucharisticas, & per verba consecrationis, tamquam per signum visibile, ac proinde sacramentum eucharistia non constituitur intrinsecè ex speciebus, & ex verbis consecrationis. Vasquez tamen disp. 167. cap. 2. vindicat Vvaldensem ab hoc errore.

3. Dicendum cum omnibus theologis contra opinionem relata: Christus non est totum sacramentum eucharistia. Probat. Nam de ratione sacramenti adæquatè sumpti est, vt sit signum per se sensibile, & vt in ratione sacramenti constituatur per aliquid immediatè cadens sub sensum, ideoque sacramentum definitur *signum sensibile*; sed Christus vt existens in eucharistia non est per se sensibilis; ergo sacramentum eucharistia adæquatè sumptum non est solus Christus, sed intrinsecè constituitur etiam per aliquid immediatè sensibile.

4. Quæritur secundo, vtrum sola verba consecrationis sint totum sacramentum eucharistia.

Re.

homine vocetur ab aliquibus patribus, tamen ab eo abstinendum monet Claudius Sanctes in 6. Repetitione de eucharistia, quia eo hæretici malitiosè vtuntur. Videri potest Vasquez in commentario art. 4. quæst. 73.

QVAESTIO CXXVIII.

De præcipuis figuris eucharistia.

S. Thomas quæst. 73. art. 6.

1. **I**N veteri testamento præcipua figura eucharistia, in quantum est sacramentum tantum, fuit oblatio Melchisedech. Ratio est, quia in eucharistia sacramentum tantum est panis, & vinum; sed Melchisedech obtulit panem, & vinum, vt dicitur Gen. 14. ergo. Ideo Psal. 113. Christus dicitur *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Præcipua figura eucharistia, in quantum est res, & sacramentum, fuerunt omnia sacrificia veteris testamenti, ac præcipuè sacrificium expiationis, quod erat maximè solemne. Ratio est, quia res, & sacramentum est Christus per passionem, & mortem immolatus patri, & sic ingressus in sancta sanctorum, hoc est in supremum cælum; sed per sacrificium expiationis summus sacerdos semel in anno intrabat in sancta sanctorum, vt dicitur ad Heb. 9. ergo. Præcipua figura gratia, quæ est res sacramenti, & effectus eucharistia, fuit manna. Ratio est, quia vt dicitur sap. 16. manna habebat omnis saporis suauitatem, sicut gratia, quoad omnia reficit mentem. Ideo sicut Hebræis post transitum maris rubri, qui fuit figura baptismi, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10. *Omnes baptizati sunt in nube, & in mari*, datum fuit manna, sic christianis post baptismum datur eucharistia. Demum agnus paschalis fuit præcipua figura eucharistia quoad omnia hæc tria. Ratio est, quia agnus paschalis in quantum comedebatur cum panibus azymis, iuxta illud Exodi 12. *Edent carnes, & azymos panes*, figurabat eucharistiam, in quantum continet species panis, & vini, quæ sunt sacramentum tantum. Ipse agnus, qui immolabatur à tota multitudine filiorum Israel decima quarta lunæ, figurauit Christum, qui est res, & sacramentum, & dicitur agnus propter innocentiam, & à tota multitudine Iudæorum traditus est ad mortem, & immolatus circa decimam quartam lunæ. Demum liberatio filiorum Israel, qui per sanguinem agni liberati sunt ab angelo percussore, & educti ab ægyptiaca seruitute, fuit figura effectus primarij eucharistia, qui est res tantum, nimirum gratia liberantis à seruitute demonis, & à morte æterna. Videri potest Suarius in commentario huius art. 6. quæst. 73.